

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIII - N. 2

1991

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIU M
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

DECEMBRI 1991

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis, Audientiae generalis occasione, die 2 octobris habita	135
Ex Allocutione Summi Pontificis ad Sodales Pontificii Consilii pro Familia, in ple- nario coetu coadunatos, coram admissos	136

ACTA CONSILII

Responsum ad propositum dubium	140
--	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio I)	141
II. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio II)	166
III. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio III)	211
IV. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio IV)	244
V. Coetus studiorum « De Normis generalibus » - Series Altera (Sessio V)	273

<i>Nota:</i> De itinere laboris Coetus studii « De Normis Generalibus » (Liber I CIC)	300
---	-----

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	302
--	-----

Notitiae	304
--------------------	-----

Index Rerum Generalis	305
---------------------------------	-----

II

COETUS STUDIORUM
« DE NORMIS GENERALIBUS »

Series Altera

Sessio II

(dd. 23 - 27 octobris a. 1979 habita)

Coetus specialis constitutus ad animadversiones et suggestiones ab Episcopis et Universitatibus studiorum necnon Dicasteriis Romanae Curiae propositas, quae novos canones de Normis Generalibus respiciunt, perpendendas, sessiones secunda vice habuit diebus 23-27 octobris 1979.

Partem in eo habuerunt Exc.mus D.nus Rosalius J. Castillo Lara, Commissionis Secretarius, qui praesidis munere functus est; Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, eiusdem Commissionis Secretarius Adjunctus, qui relatoris exercuit munus et nonnulli Consultores nostrae Commissionis, idest Rev.mi tres et Ill.mi duo Consultores. In coetu adlecti quoque sunt uti Consultores Rev.mi PP. Olis Robleda et Xaverius Ochoa necnon Ill.mus D.nus Pius Fedele. Ipsi quoque Consultores in praesenti Relatione nuncupabuntur. Quibusdam adunationibus interfuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Commissionis Praeses. Acta rediget Rev.mus D.nus Marianus De Nicolò, Commissionis Adjutor a studiis.


Exc.mus Commissionis Secretarius, ineunte sessione, omnibus salutationes dicit et gratias ex intimo corde iam ex nunc agit de laboribus peragendis.

Rev.mus Secretarius Ad. seu Relator praesentis sessionis argumentum introducit, quod erit continuatio revisionis schematis inde a cap. II « de consuetudine ». Et cum non sint animadversiones generales quoad istud caput II, transitus illico fit ad recognitionem can. 24.

Can. 24 (CIC 25)

In Ecclesia ea tantum consuetudo a communitate christiana introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

Animadversionibus consideratis, tres enuntiantur quaestiones considerandae, nempe: 1) utrum canon supprimi possit quia iam de eadem re sermo est in can. 27; 2) utrum servanda sit locutio « a communitate christiana » vel « ecclesiastica »; 3) utrum loco « approbata fuerit » melius sit ut dicatur « non improbata fuerit ».



Ad primam quaestionem quod attinet, Exc.mus Secretarius tenet in can. 24 saltem de approbatione legali dum e contra in can. 27 de speciali approbatione agi; canonem 24 retineri debere censem quia iuris Ecclesiae propensionem (orientamento) dat.

Rev.mus primus Consultor proponit ut supprimantur verba « quae a legislatore approbata fuerint », ita ut habeatur tantum quod in can. 27 consideratur.

Rev.mus secundus Consultor tenet canonem 24 superfluum non esse imo conspectum generalem materiae praebere et ad rem multa edicere.

Rev.mus primus Consultor proponit textum adjunctivum alicuius § 2 iuxta propositionem cuiusdam Episcoporum Conferentiae: « approbatio auctoritatis competentis saltem tacite manifestari debet ».

Ill.mus tertius Consultor praefert textum schematis sed contradicunt alii, quia illa approbatio alia res est.

Rev.mus quartus Consultor animadvertisit consuetudinem vim obtinere ex legislatoris consensu et eidem magis placet textus CIC. Quae in can. 25 continentur non retineri possunt uti approbatio positiva sed potius requisita ex parte facti consuetudinis. Can. 24 referri videtur tantum ad can. 27. Ei minime quidem placet verbum « approbatio » utpote nimis positivum; melius ut in canone introductorio dicatur « de consensu ».

Ill.mus quintus Consultor stat pro conservatione canonis, demptis verbis « In Ecclesia », utpote superfluis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. necessarium esse nos loqui de approbatione et non de consensu, quia secus haberi deberet populi legislatorisque consensus et eiusdem legislatoris approbatio.

Ill.mus sextus Consultor praefert ut canon servetur.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut cuiusdam S. Congregationis Curiae Romanae admittatur propositio dicendi « fidelium » loco « christiana », claritatis causa.

In fine disceptationis textus ab omnibus probatur uti iacet, demptis verbis « In Ecclesia » et admisso « fidelium » loco « christiana ».

Can. 25 (CIC 27)

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis; consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Consideratis animadversionibus prolatis, Ill.mus quintus Consultor praeferret ut textus servetur demptis verbis in § 1 « sive naturali sive positivo » ad relinquendas doctrinae disputationes in materia. In § 2 consuetudo quae neque contra neque praeter ius est videtur secundum ius esse ideoque de ea sermonem instituendum non esse.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit consuetudinem secundum ius suum habere in nostro iure momentum (rilievo).

Replicat Ill.mus quintus Consultor rationabilitatis conceptum omnimodo obscurum esse etsi commodum pro legislatore et instat ut verba « contra aut praeter » demantur.

Iuxta Exc.mi Secretarii sententiam, hic de rationabilitate tractari debet tantum in obliquo: non esse rationabilis, dicitur, nisi...

Ill.mus tertius Consultor tenet servari debere verbum « rationabilis » quod sensum in traditione canonistica sibi proprium habet. Dantur etiam consuetudines irrationaliter quae neque contra ius divinum sunt neque a iure expresse reprobantur. Non convenit ergo ut textus pressius determinetur.

Iuxta sententiam Rev.mi quarti Consultoris rationabilitas in materia consuetudinis plura continet elementa et plus dicit quam consuetudo quae non contra ius divinum sit et expresse non reprobata.

Suffragationi submittitur propositio cuiusdam Universitatis Pontificiae [novum textum proponens], quae tamen maioritate suffragiorum non admittitur (6 contra 3: primus et sextus Consultores, Secretarius).

Suffragatione peracta, maiori Consultorum parti placet ut verba in § 1 contenta « sive naturali, sive positivo » deleantur (5 contra 3: tertius, quartus et septimus Consultores), abstinentem Secretario.

Em.mus Cardinalis Praeses petit ut in actis referatur ei non placere quod illa verba e textu expungantur causa disceptationis quae hodie saepe fit circa ipsum ius naturale.

Suffragio submittitur propositio delendi verba « contra aut praeter ius canonicum », sed reicitur 5 contra 4. Ergo textus remanet prout iacet.

Can. 26 (CIC 26)

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipienda capace servata fuerit.

Animadversiones ad duas reducuntur quaestiones: 1) utrum animus iuris inducendi requiratur; 2) utrum servari debeat « saltem ».

Ad 1: Rev.mi secundus Consultor et Secretarius Ad. tenent semper requisitum fuisse illum animum inde a Decretistis et Decretalibus necnon in iure civili.

In fine disceptationis omnes consentiunt ut verba serventur.

Ad 2: Maioritati Consultorum (6 contra 3) placet ut « saltem » serve-
tur quia hoc modo innuere videtur textus communitatem fidelium quae sit
capax legem ferendi.

Ex propositione Rev.mi secundi Consultoris, ordo rerum dicendarum aliquantis per mutatur, nempe verba « a communitate... capace » post « nisi quae » transferuntur.

Can. 27 (CIC 27 et 28)

Nisi a competenti legislatore, consensu saltem tacite manifestato, spe-
cialiter fuerit probata, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae
est praeter legem canonicam, vim legis obtinet tantum, si legitime per an-
nos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canoni-
cam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola
praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Considerantur imprimis animadversiones.

Ad verbum « tacite » quod attinet, Rev.mus quartus Consultor notat
quod si consensus etiam tacitus sufficeret, certitudo iuris deficeret.

Omnis conveniunt ut supprimatur.

Non admittitur propositio supprimendi verba « nisi a competente legi-
slatore specialiter fuerit probata » (6 contra 3) neque propositio cuiusdam
Episcoporum Conferentiae [exigendi consensum 'expressum' legislatoris
competentis] (6 contra 3).

Can. 28 (CIC 29)

Consuetudo est optima legum interpres.

Placet uti est.

Can. 29 (CIC 30)

Firmo praescripto can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem,
per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de
iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut imme-
morabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

Visa animadversione, Ill.mus quintus Consultor proponit ut supprimatur verbum « centenarias » et remaneat tantum « immemorables ».

Disceptatione peracta etiam ad tempus centum annorum quod attinet, 5 Consultoribus placet contra 4 ut textus remaneat uti est.

TITULUS II

DE DECRETIS ATQUE PRAECEPTIS GENERALIBUS ET DE INSTRUCTIONIBUS

Rev.mus Secretarius Ad. animadversiones ad totum titulum prolatas legit.

Contra propositionem praferendi in titulo « Potestas administrativa » loco « exexecutiva » omnes conveniunt ut retineatur terminologia in schema-te adhibita.

Aliae observationes redibunt in consideratione singulorum canonum ideoque ad illas remittuntur.

Neque sermo instituendus est de potestate dominativa, cum de ea pote-state sermo non fiet in iure recognito.

Can. 30 (novus)

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate le-gis recipienda capace, communia feruntur praescripta, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Animadversiones ad duas reducuntur quaestiones: 1) utrum canon servandus sit; 2) utrum transferendus ad titulum de legibus.

Ad 1: omnibus placet ut servetur.

Ad 2: Rev.mus secundus Consultor tenet vocem « Decretum » amplis-simam habere significationem et omnes comprehendere actus ex potestate sive legislativa sive exexecutiva, sive indicaria promanantes, quapropter instat ut ad caput de legibus transferatur.

Ill.mus tertius Consultor praeferreret ut practice remaneat uti nunc est, praescindendo a quaestione systematica, quia textus, qui est novus, securi-tatem confert et actionis criterium dat alicui praxi ecclesiasticae adhuc ni-mis confusae. Rev.mus quartus Consultor sententiae Rev.mi secundi Con-sultoris adhaeret. Rev.mus septimus et Ill.mi quintus et sextus Consultores praeferunt ut remaneat ubi est ratione proprietatis collocationis et facilius

habetur transitus a titulo ad rem. Rev.mus secundus Consultor insistit sed, suffragatione peracta, propositio non admittitur (7 contra 2: secundus et quartus Consultores) et textus probatur prout iacet.

Can. 31 (novus)

Decreta generalia, quibus praescripta statuuntur communia praeter aut contra leges vigentes consuetudinesve probatas ferre non valent ii qui potestate executiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa; quae vi talis concessae potestatis servatisque conditionibus in actu concessionis statutis eduntur decreta generalia, vim legis habent et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Postquam examini subiectae sunt animadversiones, Exc.mus Secretarius proponit ut verba « quae vi talis ... de legibus » supprimantur, quia textus iam clarus est ex can. 30 et mera repetitio haberetur.

Non consentit Ill.mus tertius Consultor, qui convenit illa verba stricte necessaria non esse, si ideae clarae de legislatione delegata haberentur, sed e converso multum ea conferre ad sensum didacticum canonis cum magna in hac materia habeatur confusio in Ecclesiae gubernio. Ad rem illustrandam sufficit ut observationes SS. Romanarum Congregationum legantur.

Instat Exc.mus Secretarius ut verba illa deleantur, ne confusio per repetitionem oriatur, quasi hic de re diversa a decretis generalibus can. 30 ageretur. Ad summum dici poterit « decreta de quibus in can. 30 ferre non valent ii qui potestate executiva tantum gaudent ». Rev.mus quartus Consultor proponit ut verba « nisi in casibus particularibus » tollantur. Hoc in casu textus magis clarus et imperativus resultaret.

Rev.mus primus Consultor adhaeret sententiae ab Exc.mo Secretario propositae atque proponit ut dicatur « Decreta generalia de quibus in can. 30 ferre non valet... » omissis verbis « quae vi talis... de legibus ».

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit canonem propositum esse ex ratione practica ad claram habendam regulam.

Rev.mus secundus Consultor tenet can. 31 deleri posse cum quaestio de delegatione satis ordinata sit in can. 102, § 1.

Ill.mus quintus Consultor distinguit inter decreta applicationis et decreta pro quibus non necessaria est delegatio et tenet textum integre servandum esse etsi aliquam dari repetitionem.

Instat Exc.mus Secretarius, quia omnia quae in canone continentur magis confusionem quam claritatem dignunt; nam: 1) qui habent potestatem

tantum exsecutivam non possunt dare decreta generalia; 2) nisi potestate delegata praediti sint.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit practice non semper decreta generalia ad legem exsequendam secundum ipsam legem dari. Replicat Exc.mus Secretarius melius esse ne distinguatur contra aut praeter legem, sed requiri ut comprehendantur etiam illa secundum legem quod in canone fit per verba « Decreta... de quibus ».

Quae cum ita sint, Ill.mus tertius Consultor sequentem proponit tex-tum canonis: « Decreta generalia de quibus in can. 30 ferre non valent... concessa, et servatis conditionibus in actu concessionis statutis ».

Suffragatione peracta, textus ab omnibus probatur.

Can. 32 (novus)

§ 1. Decreta generalia exsecutoria, quibus nempe pressius determinantur modi in lege applicanda servandi, itemque pracepta communia, quibus legis aut decreti generalis observantia urgetur, ferre valent, intra fines suae competentiae, qui potestate gaudent exsecutiva.

§ 2. Ad decretorum praceptorumque generalium de quibus in § 1 promulgationem et vacationem quod attinet, serventur praescripta can. 9.

Exc.mus Secretarius petit ut propositio delendi distinctionem inter decretum generale et praceptum diligenter perpendatur, cum decretum sit potius modus praceptum dandi ita ut supprimatur distinctio haud perspicua decretum generale inter et praceptum commune.

Ill.mus tertius Consultor animadvertisit quod difficile est statuere quaenam normae sint ad declarandam et quaenam ad urgendam alicuius legis observantiam. Rev.mus Secretarius Ad. in mentem revocat decretum generale modum exsecutio-nis pracepti communis imponere et applicationem urgere contra eos qui eandem applicationem nolunt.

Rev.mus primus Consultor tenet pracepta communia urgere legem, ideoque inserenda non esse in fontibus iuris.

Exc.mus Secretarius notat per decretum generale: 1) pressius determinari modos, 2) ad urgendam legis observantiam; et insuper neque decreta exsecutoria, neque instructiones assimilari legibus et cum iisdem leges mutari nequire.

Rev.mus Secretarius Ad. instat praceptum commune speciem esse decreti ad urgendam legis observantiam.

Disceptatione peracta, omnes conveniunt in approbatione textus cum sequentibus emendationibus:

Ad § 1: post « servandi » dicatur « aut legum » et deleantur verba « itemque ... generalis ».

Ad § 2: deleantur verba « praceptorum generalium ».

Can. 33 (novus)

Decreta generalia exsecutoria et pracepta communia eos obligant qui tenentur legibus quarum modos applicationis determinant aut observationem urgent.

Placet, demptis verbis « et pracepta communia ».

Can. 34 (novus)

§ 1. Decreta generalia exsecutoria itemque pracepta communia non derogant legibus, atque quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent.

§ 2. Eadem vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem data sunt; non autem cessant resoluto iure statuentis, nisi contrarium expresse caveatur.

Ad § 1: Disceptatione peracta, non admittitur propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae et hic est textus qui probatus est: « Decreta generalia exsecutoria, etiam quae dantur in directoriis alias nominis documentis, non derogant legibus et quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent » (cfr. tamen ea quae ad can. 35 bis, foliis sequentibus, indicata sunt).

Ad § 2: Probatur prout iacet.

Can. 35 (novus)

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur eosque in legum exsecutione obligant; eas legitime edunt, intra fines suaे competen- tiae, qui potestate executiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit eiusve superiore, sed etiam cessante lege ad quam declarandam exsecutionive mandandam datae sunt.

Ad § 1: Rev.mus quartus Consultor animadvertisit quod in canonibus pro decretis modi determinantur qui non habentur pro instructionibus. Respondet Exc.mus Secretarius semper instructionem ad usum esse eorum qui legem urgere debent et etiam illorum qui ad eiusdem legis observantiam tenentur.

Rev.mus Secretarius Ad. notat in usu receptum esse quod decreta generalia respiciunt ordinationem (regolamento) externam dum instructiones pro ordinatione interna publicae administrationis dantur.

Exc.mus Secretarius tenet instructionem esse explicationem legis per longum et latum, quae destinanda videtur non tantum ad eos qui aliquam legem ad exsecutionem mittere debent, sed etiam ad eos qui eam observare tenentur.

Ill.mus tertius Consultor tenet hac explicatione instructiones nihil aliud esse nisi decreta generalia ideoque sufficere ut initio canonis dicatur « Decreta et instructiones ». Rev.mus Secretarius Ad. notat nullam haberi petitionem ut textus reformatum et Coetus qui textum paravit praecise voluit exsecutionem dare praescripto M.P. *Cum iuris canonici Codicem* Benedicti Pp. XV diei 15 sept. 1917. In fine disceptationis per suffragium textus probatur uti est, omnibus consentientibus, excepto Ill.mo tertio Consultore et Exc.mo Secretario, qui se abstinet.

Can. 35 bis (novus)

Quae de instructionibus statuta sunt, valent etiam pro directoriis aliisve huiusmodi litteris pastoralibus.

Textus propositus est a quadam Episcoporum Conferentia et ab aliis petitur ut norma haec aliis documentis etiam extendatur, uti sunt « litterae circulares » et « monita ».

Rev.mus secundus Consultor tenet directorium litterasque circulares valorem non habere nisi instructionum. Tamen absolute oportet ut mentio fiat de directorio quod, sub ductu Concilii Oecumenici Vat. II, magnum retulit momentum, et quid sit in systematica dicatur, cum saepe per ipsa diversa directoria enervata est Ecclesiae disciplina.

Exc.mus Secretarius animadvertisit verbum « directorium » sensum nondum in iure canonico habere univocum. Ceterum nulla adest necessitas novum proponendi canonem cum res pateat ex canonibus praecedentibus et respicit solummodo eos qui tantum potestate exexecutiva praediti sunt.

Rev.mus septimus Consultor tenet necessarium non esse principia de directorio statuere. Rev.mus quartus Consultor ex adverso tenet, etsi non stricte, necessarium multumque conveniens esse ut aliquid de directorio dicatur utpote speciale figuram habente. Quae figura praeteriri non potest quia momentosa in Ecclesia etsi multiplicitas directoriorum habeatur. Secus aliqua lacuna iuris daretur.

Ill.mus sextus Consultor tenet quod si directorii definitio praebetur etiam alia definiri debent.

Ill.mus tertius Consultor proponit ut canoni 34 § alia adiungatur quae ideas in propositione memoratae Episcoporum Conferentiae contentas edicat, cum instructiones destinatae sint « ad intra » administrationis; et hoc modo eandem vim et valorem praebent ac decreta generalia, neque necessarium esset definire omnia sed tantum quaestionibus practicis consulere. Normae legales directorii eundem habent valorem ac lex ex qua proveniunt.

Exc.mus Secretarius instat verbum « directorium » sensum univocum non habere. Ex. gr. directorium in materia de religiosis est ordinamentum aliquod (regolamento) valore legis praeditum.

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit impossibile esse legem ferre absque nomenclatura clara et praecisa. Actus qui non intrant in illis quae in canonibus regulati sunt nequeunt uti leges obligare.

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententiam, difficultas non tantum est in nominum varietate (declarationes, litterae, directoria, etc.), sed in eo quod de facto illis cum documentis saepe saepius decreta dantur generalia et nostrum est illorum documentorum valorem determinare. Quare proponit ut dicatur « in cuiuscumque nominis documento habeantur his subiiciuntur normis ».

Rev.mus Secretarius Ad. lacunam adesse recognoscit; tamen anceps est utrum melius aliquid dicere sit in can. 32.

Rev.mo secundo Consultori qualificatio ab Ill.mo tertio Consultore de directorio facta placet cum sit in linea instructionis et decreti generalis, sed repectu momenti habito quod hodie ex Concilio directorium praeferat debemus sermonem instituere de hoc specifico documento et conficiendus est canon novus cum propositione a Rev.mo Secretario Ad. in initio facta, loquendo de directoriis et aliis huiusmodi documentis.

Quae cum ita sint res, tandem aliquando ad decisionem pervenitur formulam generalem adhibendi quae ita sonaret: « Decreta generalia exsecutoria etiam si dentur in directoriis, aliisve documentis ». Placet 6 contra 3.

Disceptatio sat longa instituitur de loco ubi ponenda sit haec norma. Rev.mus primus Consultor tenet normam introducendam esse in § 1 can. 32, quia valeret etiam pro sequentibus canonibus, dum e contra Exc.mus Secretarius instat ut in can. 34 § 1 introducatur, cum disceptatio sit de directorii valore et non de iis qui potestatem habent id edendi, et si hic ponitur, valet etiam pro canonibus antecedentibus.

Fine finaliter convenit ut adiectio fiat in can. 34 § 1, prouti superius (ad can. 34) notatum est hoc textu: « etiam quae edantur in directoriis aliasve nominis documentis ».

Can. 35 ter

Alia facta est propositio a memorata Episcoporum Conferentia ponendi nempe, uti can. 35 ter, can. 94 schematis, et ut in § 1 huius canonis deleantur verba « licet ... non supremo editae », quae sunt superflua. Re disceptata, convenit ut melius quando de systematica tractabitur de eo agatur.

TITULUS III DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS

Imprimis Rev.mus Secretarius Ad. animadversiones generales perlegit et transitus fit ad singulorum canonum considerationem.

Caput I NORMAE COMMUNES

Can. 36 (novus)

Actus administrativus singularis, sive sit decretum aut praeceptum sive sit rescriptum, elici potest, intra fines suae competentiae, ab eo qui potestate exexecutiva gaudet.

Perlectis animadversionibus, Rev.mus secundus Consultor notat normam deficere de iis qui potestate exexecutiva pollent. Respondeat Rev.mus Secretarius Ad. alibi tractari et hic non convenire ut enumeratio instituatur.

Placet omnibus textus uti est et probatur.

Can. 37 (novus; cfr. CIC 49)

Actus administrativus quicumque intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debet ad alios casus praeter expressos extendi.

In lectura animadversionum Exc.mus Secretarius propositioni a quadam Episcoporum Conferentia factae assentit, sed alio proposito ordine, ita ut prius sermo sit de interpretatione et postea quod non debet ad alios extendi casus. Quapropter omnes Consultores consentiunt ut propositione dictae Episcoporum Conferentiae hic assumatur et norma sit communis omnibus actibus administrativis et ideo praescripta cann. 37, 52 et 67 insimul enuntiantur; et ultima pars canonis schematis uti § 2 ponatur:

« § 1. Actus administrativus intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum; in dubio quae ad lites referuntur aut ad poenas comminandas infligendasve attinent aut personae iura coarctant, aut iura in commodum privatorum, strictae subsunt interpretationi; cetera omnia latae.

§ 2. Actus administrativus non debet ad alios casus expressos extendi ».

Can. 37 bis

Maius momentum habet certitudo actus administrativi quam certitudo exsecutionis (can. 41). Ideo simul enuntiantur et can. 41 deleri potest.

Propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae probatur et uti can. 37bis sequens ponitur textus:

« Actus administrativus, qui forum externum respicit, scripto est consignandus: item si fit in forma commissoria, illius actus exsecutionis ».

Can. 37 ter

Admissa est propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae ut hic ponatur norma communis constans ex schematis canonibus 49 et 64:

« Actus administrativus effectu caret quatenus ius alteri quaesitum laedit aut legi consuetudinive probatae contrarius est, nisi auctoritas competens expresse clausulam derogatoriam addiderit ».

Placet textus, sed cum non comprehendatur rescriptum motu proprio datum, ante vox « effectu » ponuntur verba « etiam si agatur de rescripto motu proprio dato ».

Rev.mus quartus Consultor tenet dicendum esse, praeterquam competentem auctoritatem, « vi iuris aut facultate concessa ».

Re disceptata, ad suffragium submittitur quod tamen non retulit maiorum (3 contra 6); ergo textus probatur prout superius propositus est.

* * *

Examini subicitur propositio cuiusdam Episcoporum Conferentiae, uti can. 37 quinque, sed non admittitur cum cumulari nequeant normae quae in can. 53 § 1 et can. 59 schematis traduntur. Nam, si actus administrativus non est in forma commissoria, si agatur de rescripto, valet a momento quo datae sunt litterae, si e contra de decreto, valet a momento intimationis.

* * *

Can. 37 quinque

« Conditiones in actu administrativo tunc tantum ad validitatem censentur adiectae, cum per particulias « si », « nisi », « dummodo » exprimantur ».

Textus proponitur a plures memorata Episcoporum Conferentia et norma est communis ex can. 60. Verba « vel aliam eiusdem significacionis » delentur. Aliquantulum disceptatum est quia conditiones de se in decreto non apponuntur (Secretarius Ad.) et quaestio de validitate praesertim ad rescripta applicatur (Secretarius). Tamen, etsi difficile, non est impossibile (tertius Consultor) quia ad omnes actus iuridicos de se apponi possunt clausulae (quartus Consultor).

Rev.mus quartus Consultor propositionem facit submittendi actus administrativos disciplinae actuum iuridicorum, cui contradicunt Exc.mus Secretarius et Rev.mus Secretarius Ad. Distinctio inter decretum et rescriptum — tenet Rev.mus secundus Consultor — non adeo est stricta quod non possint aliquae normae dari communes: de rescriptis enim dicitur « de se » esse, de decretis « natura sua ».

Tandem aliquando textus probatur prout propositus est.

* * *

Propositio quae a memorata Episcoporum Conferentia facta est uti can. 37 septies non acceptatur. Non, enim, decet ut decretum suum valorem retineat etiam in casu erroris circa personam cui destinatur; ideoque norma valeat tantum pro rescriptis.

* * *

Exc.mus Secretarius propositionem praesentat e Coetu De processibus (sectione De procedura administrativa) provenientem hic inserendam, quae haec habet:

« Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo, cuius interest, petitio vel recursus ad decretum obtainendum proponatur, Superior quamprimum, salva iustitia et pastorali prudentia, providere curet ».

Exc.mus Secretarius proponit ut ponatur hic vel in cap. de decretis et pro secunda hypothesi propendit.

Rev.mus septimus Consultor praeferret ut hic inseratur praecise quia Coetus De processibus voluit non tantum agi de decreto sed de quocumque actu administrativo.

Etiam Rev.mo quarto Consultori placet ut hic inseratur si verbum « quoties » servatur.

Rev.mus octavus Consultor praeferit de hac norma hic sermonem instiui sed profunde recognita quoad redactionem. Non placet ut dicatur « quamprimum », quia terminus nihil dicit et ansam praeverberet multis et facilibus recursibus, neque minime placent verba « salva iustitia et pastorali prudentia » utpote generalia, quae totam normam enervant.

Observationibus Rev.mi octavi Consultoris adhaeret Ill.mus sextus Consultor, qui tenet principium valorem habere omnino generalem. Ill.mus tertius Consultor tenet quod bene est principium introducere pro omnibus actibus administrativis, sed melius est admittere quod silentium ex parte auctoritatis responsioni positivae aequivalet.

Luxta sententiam Ill.mi quinti Consultoris, multum profert ut principium valoris silentii in parte generali ponatur sed suppressa sunt omnino verba « salva iustitia... prudentia ». Insuper tenet silentium quod per duos protrahitur menses aequivalere responsioni negativae. Rev.mus primus Consultor animadvertisit in iure canonico non dari distinctionem claram inter administrationem et iurisprudentiam, tribunalia et officia administrativa. Tribunalia praevalenter de matrimoniis agunt; cum de iustitia administrativa agunt, saepe officia agunt pro tribunalibus, ideoque respondere deberent et illa intra praefinitum tempus. Etiam Rev.mus secundus Consultor concordat cum sententia Rev.mi primi Consultoris.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus in duas dividatur partes, in quibus agatur de obligatione intra determinatum tempus ferendi decretum, et deinde de iure ad recursum, et dicatur « Quoties lex iubeat ut actus administrativus [detur] intra duos menses utiles ponendus est, nisi alias terminus in lege praescribatur; itemque petitionem vel recursum ad actum

administrativum obtainendum (legitime?) proponenti Superior intra duos menses a recepta petitione responsum dari curet: quo tempore transacto responsum pro negativo habeatur ».

Rev.mus octavus Consultor petit quid sibi velit expressio « responsio dari curet », num de responsione iuridica vel de responsione receptionis vel de illa sic dicta « cortesia » agatur; in primo casu tempus duorum mensium in genere sufficiens non esse videtur, et proponit ut dicatur « provideat aut respondeat ». Rev.mus septimus Consultor notat in nostra ordinatione iuridica deesse institutum temporis terminorum et silentii administrativi. Pro actibus Sanctae Sedis tempus duorum mensium est omnino insufficiens.

Ill.mus tertius Consultor tenet profundius inquirendam esse distinctio nem inter actus administrativos simplices et complexos et institutum silentii influxum habere debere in omni momento procedurae administrativae, et non tantum in procedura iustitiae administrativae.

Quaestio ad crastinam diem remittitur.

* * *

Can. 38 (novus; cfr. CIC 53)

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate eundem actum edentis transmissa.

Rev.mus secundus Consultor quaestionem sustinet a quadam Universitate propositam, nempe quod non fiat distinctio inter actus administrativos simplices et actus complexos; non attenditur possibilitas nullitatis actus finalis ex invaliditate actus intermedii.

Rev.mo octavo Consultori videtur praeteriri non posse quaestionem a quadam S. Congregatione Curiae Romanae propositam quod praescriptio huius canonis non sit opportuna (uti ea CIC can. 53); requiritur tantummodo praevia notitia, sed in casu exceptionali; fiet autem celeriter regula generalis et in hoc praecise est periculum.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. inconvenientia semper possilia esse neque per legem ea excludi omnino posse.

Textus, suffragationi subiectus, placet maiori parti Consultorum (7 contra 3), prout exstat in schemate.

Can. 39 (novus; cfr. CIC 54)

Exsecutor actus administrativi cui committitur merum exsecutionis ministerium, exsecutionem huius actus denegare non potest, nisi manifesto

appareat eundem actum esse nullum aut sustineri non posse; si tamen actus administrativi exsecutio adiunctorum personae aut loci ratione videatur inopportuna, exsecutor executionem intermittat; iis vero in casibus statim certiorem faciat auctoritatem quae actum edidit.

Ex animadversionibus prolatis illae, quae sub 3 et 4 continentur, acceptantur quapropter textus probatur cum sequentibus tribus emendationibus: 1) post « nullum » adiungatur « aut alia ex gravi causa »; 2) post « non posse » inseratur « aut conditiones in ipso actu administrativo appositas non esse adimpletas » et ideo supprimitur § 1 can. 70, quae eadem continet clausulam; 3) loco « iis » dicatur « quibus ».

Can. 40 (novus; cfr. CIC 55)

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Probatur textus prout iacet.

Can. 41 (novus; cfr. CIC 56)

Exsecutio cuiuscumque actus administrativi qui forum externum respicit, scripto est consignanda.

Cadit, quia provisum in can. 37 bis.

Can. 42 (novus; cfr. CIC 57)

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Placet uti est.

Can. 43 (novus; cfr. CIC 58)

Actus administrativus executioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Placet, demptis verbis « vel dignitate » quia datur successor in officio, non autem in dignitate.

Can. 44 (novus; cfr. CIC 59, § 1)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi exsecutione erraverit, eundem iterum exsecutioni mandare.

Placet.

Can. 44 bis

« Actus administrativus non cessat resoluto iure statuentis, nisi aliud expresse caveatur ».

Hic canon proponitur addendus a iam pluries memorata Episcoporum Conferentia et ab omnibus admittitur. Cadunt hoc modo can. 54 § 1 et can. 72 § 2.

Propositiones quoad can. 44ter et can. 44 quater, quae ab eadem Episcoporum Conferentia proponuntur, non admittuntur, cum illae normae non valeant pro omnibus actibus administrativis sed tantum pro rescriptis. Contrarium sese declarat tantummodo Rev.mus secundus Consultor, qui dicit se non videre contradictionem cum per se lex contraria non possit influxum habere in actus administrativos iam positos.

Can. 45 (novus; cfr. CIC 60, § 1)

Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime significetur personae pro qua datus est.

Ad propositionem cuiusdam Universitatis de aliqua § 2 addenda circa refectionem damnorum illatorum ex parte auctoritatis administrativa, Rev.mus Secretarius Ad. tenet iam provisum esse in can. 117, ubi expresse dicitur de obligatione ad damnum illatum reparandum. Placet textus prouti est, emendato tantum « significetur » cum « notificetur » (6 contra 4).

Caput II

DE DECRETIS ET PRAECEPTIS SINGULARIBUS

Quoad animadversiones generales: [leguntur sed non accipiuntur].

Can. 46 (novus)

Decretum singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate exsecutiva editus quo secundum iuris normas pro casu particu-

lari datur decisio aut canonica fit provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

Exc.mus Secretarius petit utrum revera necessaria sint verba « petitionem ab aliquo factam » cum iam sufficienter decretum descriptum sit. Respondeat Rev.mus Secretarius Ad. necessaria omnimode esse cum natura sua decretum singulare petitionem non supponat et hoc modo praecise distinguitur a rescripto quod est de se ad petitionem alicuius. Memorat insuper discussiones quae Coetus habuit hac de re.

Cui sententiae adhaereunt Rev.mi secundus, primus, quartus et septimus Consultores et Exc.mus Secretarius, necnon Ill.mi sextus et quintus Consultores.

Ill.mus tertius Consultor ancipitem sese declarat.

Rev.mus octavus Consultor praeferret ut definitio omitteretur, sed in casu quo remaneat ei placet textus prouti iacet.

Fine finaliter textus probatur maioritate suffragiorum (Ill.mo tertio Consultore abstinenti).

Aliqua difficultas mota insuper est ex verbis « canonica fit provisio » quae insinuare videtur tantum ideam alicuius nominationis ad aliquod officium.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit verbum « decisio » sese referre ad actum administrativum qui emittitur in exsecutione alicuius legis, dum vocem « provisio » non esse in exsecutione alicuius normae ideoque provisionem canonicam non sese referre tantum ad nominationem ad aliquod officium.

Exc.mus Secretarius proponit ut locutio substituatur per verba « aliquid statuere », cui contradicit Rev.mus Secretarius Ad. cum propositione non bene sonet, quia omnia non comprehendit; nam statuere non est idem ac decidere.

Rev.mus octavus Consultor animadvertisit in re processuali dari sive decreta decisoria, quibus aliquid iudex decernit, sive decreta ordinatoria, quibus iudex non decernit sed aliquid statuit faciendi vel ordinandi et saepe saepius sunt decreta administrativa. Et quaerit utrum sit necessarium de huiusmodi rebus hic sermonem instituere. Verbum « provisio », si eius sensus extenditur, esset contra usum canonicum. Ei placet propositio Exc.mi Secretarii rem modo generali exprimendi.

Rev.mus quartus Consultor difficultatem habet contra verbum « statuere » quod non potest applicari ad officii provisionem et proponit ut ad difficultates vitandas, servetur quidem vox « provisio », suppressa tamen voce « canonica ». Ill.mo quinto Consultori placet ut definitio servetur

ad clarificandas notiones iuridicas. Placet propositio maiori parti Consultorum. Exc.mus Secretarius petit ut in actis referatur eius contrarietas ad definitionem dandam eo magis quod in doctrina ei non videtur adhuc satis elaborata.

Pariter contrarii sunt definitioni Rev.mi octavus et primus Consultores, qui ultimus proponit etiam ut cap. II directe a can. 48 initium sumat.

Textus probatur ut supra notatum est, dempto verbo « canonica ».

Can. 47 (novus)

Praeceptum singulare intelligitur decretum quo directe alicuius normae canonicae aut decreti observantia urgetur contra invitatos.

Exc.mus Secretarius perplexum sese declarat, prae oculis habito iure religiosorum in quo praeeptum singulare datur non necessarie in invitatos neque ad urgendam observantiam alicuius normae, sed saepe saepius datur uti norma agendi pro persona in casu aliquo particulari. Insuper notat necesse non esse definitionem de praeeptis praebere, cum in omnibus canonibus semper verba « decretum praeeptumve » repetuntur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. praeeptum distingui in genere decreti. Replicat Rev.mus octavus Consultor definitionem logicam offendere si praeeptum est decreti species; et contendit inutilem definitionem esse.

Rev.mus primus Consultor tenet, visis canonibus 51 et 54, distinctionem esse necessariam inter decreta et praeepta et sequentem proponit textum: « Praeceptum singulare est actus administrativus quo personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omittendum directe ac legitime imponitur ».

Ill.mo quinto Consultori placet textus a Rev.mo primo Consultore propositus, exclusa tamen semper referentia formalis ad legem et loco « actus administrativus » dicto « decretum ».

Ill.mus tertius Consultor petit ut idea servetur quod praeeptum datur ad alicuius normae contra invitatos observantiam urgendam.

Ill.mus sextus Consultor textum a Rev.mo primo Consultore propositum praefert ne eius applicatio nimis restricta resultet.

Iuxta sententiam Rev.mi octavi Consultoris melius esset quod istae definitiones, quae nondum matura sunt, vitarentur. Apud omnes auctores datur definitio praeepti modo omnino generali uti iussum seu mandatum a superiore intimatum, etc. Si danda est definitio, melius esset quod non restringatur illa quae ab auctoribus praebetur.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum: « Praeceptum singulare intelligitur decretum quo ad legem applicandam certae vel certis

personis determinata actio vel omissio imponitur aut legis observatio contra invitatos urgetur ».

Exc.mo Secretario magis placet textus a Rev.mo primo Consultore propositus, quia textus schematis: 1) nimis observantiam legis restringit; in Ecclesia gubernandi potestas magis ampla est quam in civili societate; 2) praedit tantum quod praeceptum detur contra invitatos, quod verum non est, cum saepe utatur in religiosorum regime.

Respondet Rev.mus secundus Consultor praeceptum singulare in iure canonico dari tantum contra invitatos et sensum habere debere restrictivum. Alii actus sunt decreta et per decreta ordinari possunt.

Rev.mus octavus Consultor notat aliquos auctores bonae notae tenere praeceptum non speciem esse decreti sed e converso decretum speciem esse praecetti, uti ex. gr. Van Hove.

Rev.mo quarto Consultori placet textus a Rev.mo primo Consultore propositus, tamen dicatur quod praeceptum est actus administrativus, et absque mentione de urgentia legis observantiae contra invitatos.

Instat Exc.mus Secretarius in sua propositione cum non sit adaequata distinctio inter praeceptum et decretum.

Tandem aliquando ad suffragationem pervenitur postquam probatum fuit ut in textu Rev.mi primi Consultoris dicatur « decretum » loco « actus administrativus » (6 contra 3) et inserantur verba « praesertim ad legis observantiam urgendam » (ab omnibus admittuntur haec verba, exceptis primo et octavo Consultoribus). Quapropter textus definitive, maioritate suffragiorum, probatus, sic sonat: « Praeceptum singulare est decretum quo personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omitendum directe et legitime imponitur, praesertim ad legis observantiam urgendam ».

Can. 48 (novus)

Antequam decretum praeceptumve singulare ferat, auctoritas curare debet ut de adiunctis omnibus notitiam comparet et de necessitate et opportunitate decreti praceptive probationem habeat, atque, quatenus possibile sit, eos audiat quorum iura laedi possint.

Consideratio canonis fit una cum can. 5 a Sectione de procedura administrativa Coetus « De processibus », qui haec habet: « Antequam decretum extra iudicium ferat, Superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat, quorum iura laedi possint ».

Notandum est quod textus fere iisdem verbis sese exprimunt.

Exc.mus Secretarius tenet: 1) necessarium non esse repetere semper « decretum praeceptumve », cum, sicut dictum est supra, praeceptum speciem esse decreti; 2) nimis esse quod Superiori de necessitate et opportunitate decreti probatio imponatur.

Ill.mus quintus Consultor proponit ut mentio habeatur vel de necessitate vel de opportunitate. Rev.mo secundo Consultori placet expressio « sufficiens probatio ». Rev.mus Secretarius Ad. et Exc.mus Secretarius proponunt ut dicatur « et sufficientes probationes habeat atque ipsi de opportunitate constet ».

Rev.mus octavus Consultor animadvertisit prae oculis habendum esse per omnes istas clausulas decretum facilius impugnable reddi et ipse praeferreret formulam a Sectione de procedura administrativa propositam. Cui assentit Ill.mus quintus Consultor.

Suffragio submittitur: 1) expressio « necessarias notitias et probationes exquirat », quae 7 Consultoribus placet et ergo probatur; 2) verbum « auctoritas » loco « superior », quod placet omnibus, excepto Rev.mo octavo Consultore; 3) ultima pars canonis schematis « atque... possint », quae placet omnibus.

Ergo textus qui probatur est: « Antequam decretum singulare ferat, auctoritas necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quatenus possibile sit, eos audiat quorum iura laedi possint ».

Rev.mus secundus Consultor petit ut § 2 addatur iuxta propositionem pluries memoratae Episcoporum Conferentiae, quae haec habet: « Qui pracepto coercendus est, prius audiri debet; secus praeceptum est invalidum, nisi ipse responsum denegaverit ». Iuxta sententiam eiusdem Rev.mi Domini § altera necessaria esset propter pracepti characterem odiosum quod legis observantiam imponit. Tamen propositio, lato suffragio, non admittitur quia superflua videtur (5 contra 4).

Can. 49 (novus)

Decretum praeceptumve singulare effectu caret, quatenus contrarium est legi consuetudinive probatae, aut iuri alteri quaesito, nisi legitime expressa clausula derogatoria apponatur.

Cadit textus quia insertus in can. 37 ter.

Can. 50 (novus)

Decretum praeceptumve singularia vim habent tantum quoad res de quibus decernunt et pro personis quibus data sunt; eas vero ubique obligant, nisi aliud constet.

Placet, suppresso tamen verbo « *praeceptumve* »: « *Decretum singulare vim... datum est; eos... obligat, nisi ... constet* ».

Can. 51 (novus; cfr. CIC 49)

Si decreta inter se sint contraria, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali; si aeque sint peculiaia aut generalia, posterius tempore obrogat priori, quatenus ei contrarium est.

Animadversionibus perfectis, norma videtur sufficienter clare expressa et probatur uti est.

Can. 52 (novus; cfr. CIC 49-50)

Decretum praeceptumve singularia interpretanda sunt ad normam can. 37; in dubio, ea quae ad lites referuntur, aut ad poenas comminandas infligendasve attinent, aut personae iura coarctant, aut iura aliis quae sita laedunt, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

Supprimitur, quia provisum in can. 37.

Can. 53 (novus; cfr. CIC 24)

§ 1. *Decretum praeceptumve singulare, cuius applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento exsecutionis; secus a momento quo personae auctoritate ipsius decernentis vel praecipientis intimatur.*

§ 2. *Decretum praeceptumve singulare ut urgeri valeat, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimatum fuerit.*

Dicatur semel « *decretem singularem* » et postea tantum « *decretem* » (octavus et secundus Consultores); contradicit Ill. mus quintus Consultor, cui melius videtur claritatis et certitudinis causa ut repetatur semper verbum « *singulare* ». Rev. mus octavus Consultor petit ut saltem non semper initium detur per verbum « *decretem* ». Rev. mus primus Consultor proponit ut in § 1 supprimatur « *vel praecipientis* ».

Disceptatione peracta, § 1 probatur, suppressis verbis « *praeceptumve* » et « *vel praecipientis* »; § 2 probatur hoc textu: « *Ut urgeri valeat decretum singulare, requiritur legitimo documento... fuerit* ».

Can. 53 bis

Placet omnibus ut hic inseratur propositio a Sectione de procedura administrativa facta, cuius textus opportune emendatus sic sonat: « *Firmo*

praescripto can. 37bis, cum gravissima ratio obstet ne scriptus decreti textus tradatur, decretum intimatum habetur si ei cui destinatur coram notario vel duobus testibus legatur, actibus redactis, ab omnibus praesentibus subscribindis ».

Can. 53 ter

Et uti can. 53 ter sequens ponitur textus cum valeat pro omnibus decretis: « Decretum pro intimato habetur, si is cui destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendum vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit ».

Can. 54 (novus; cfr. CIC 24)

§ 1. Decretum singulare non cessat resoluto iure statuentis, nisi expresse contrarium caveatur.

§ 2. Praeceptum singulare cessat resoluto iure praecipientis, nisi legitimo documento impositum fuerit.

Ad § 1: Cadit, quia translata in can. 44 bis.

Ad § 2: Probatur formula positiva (Secretarius): « Praeceptum singulare legitimo documento non impositum cessat resoluto iure praecipientis ». Et ponitur uti § 2 can. 55, cum agatur de eadem re, nempe de cessatione.

Can. 55 (novus)

Decretum praeceptumve singulare vim habere desinit legitima revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutio-nem datum est.

Placet textus et fit § 1.

* * *

Discepata est propositio Sectionis de procedura administrativa ut in decreto ferendo saltem summarie exprimantur motiva, nisi ea exprimere superfluum appareat.

Rev.mus secundus Consultor, considerata materia potestatis administrativa, tenet motiva in actibus huius potestatis non esse adducenda.

* * *

Caput III DE RESCRIPTIS

Can. 56 (novus)

§ 1. Rescriptum intelligitur actus administrativus a competenti auctoriitate exexecutiva in scriptis elicitus quo, de se ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia.

§ 2. Quae de rescriptis statuuntur praescripta, etiam de licentiae concessione valent, nisi aliud constet.

Consideratis animadversionibus et disceptatione peracta, canon probatur in textu prouti iacet.

Can. 57 (CIC 36, §, 1)

Rescriptum quodlibet impetrari potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

Placet prouti sonat.

Can. 58 (CIC 37)

Rescriptum ad iudicii ordinationem non pertinens impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Exc.mus Secretarius petit ut supprimatur referentia ad iustitiae ordinationem cum necessaria non sit neque ullibi sermo est de eiusdem ordinazione; res regulabitur in materia de processibus. Revera censem canonem nimis latum esse et ponendam aliquam restrictionem.

Rev.mi primus et octavus Consultores et Rev.mus Secretarius Ad. tenent canonem restringi posse per clausulam « nisi aliud... » et revera permultos materiae iudicii actus esse administrativos.

Disceptatione peracta et suffragio lato: 1) per 5 vota contra 4 suppriumuntur verba « ad iudicii ordinationem non pertinens »; 2) cum 7 votis contra 2 probatur ut rescriptum pro alio impetrari possit; textus qui probatur est: « Nisi aliud constet, rescriptum impetrari ... acceptationem, salvis clausulis contrariis ».

Can. 59 (CIC 38)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.

Placet mutato « tempore » cum « momento ».

Can. 60 (CIC 39)

Conditiones in rescriptis tunc tantum ad validitatem concessionis censentur adiectae, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Cadit canon cum eius materia translata sit ad can. 37 quater.

Can. 61 (CIC 4042 et 45)

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi agatur de rescripto gratiae quod *Motu proprio* datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

Ad § 1: Cum 8 votis admittitur nota saepe memoratae Episcoporum Conferentiae dicendi « stylum et proxim canonicam » loco « iurisprudentiam canonicam ». Reliqua placent.

Probantur prouti iacent § 2 et § 3.

Can. 62 (CIC 43)

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae Dicasterio aliave competenti auctoritate infra Romanum Pontificem conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coepit est.

Placet cum additamento « Salvo iure sacrae Paenitentiariae pro foro interno, gratia ... ».

Can. 63 (CIC 44)

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta

autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario generali vel Vicario episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari.

Consideratis animadversionibus, nulla ex eis videtur accipienda et canon probatur uti est.

Can. 64 (CIC 46)

Rescriptum, etiam *Motu proprio* concessum, conferens gratiam personae de iure inhabili ad eandem consequendam, itemque editum contra alicius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quaesitum, effectum non habet, nisi expressa derogatoria clausula legitime apponatur.

Cadit, quia iam provisum in can. 37 ter.

Can. 65 (CIC 47)

Rescriptum non fit irritum ob errorem in nomine personae cui datur vel a qua editur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Placet canon, addita in fine particula « de » post « vel ».

Can. 66 (CIC 48)

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat mentio expressa de priore, aut nisi impecrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio num rescriptum irritum sit necne recurratur ad resribentes.

Placet § 1.

Placet § 2, addito « prior » post « aut nisi ».

Placet § 3.

Can. 67 (CIC 49)

Rescripta intelligenda sunt ad normam can. 37; in dubio, rescripta quae ad lites referuntur, aut iura aliis quaesita laedunt, aut adversantur legi in commodum privatorum, strictam recipiunt interpretationem; cetera omnia latam.

Cadit, quia iam provisum in can. 37.

Can. 68 (CIC 51)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in iisdem litteris praecipiatur, aut de rebus agatur publicis, aut comprobare conditiones oporteat.

Visis animadversionibus, initio, post « rescriptum », additur « Sedis Apostolicae »; reliqua probantur uti iacent.

Can. 69 (CIC 52)

Rescriptum, cuius praeresentationi nullum est definitum tempus, potest exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Placet.

Can. 70 (CIC 54)

§ 1. Firmis praescriptis can. 39, exsecutor rescripti cui committitur merum exsecutionis ministerium, exsecutionem rescripti denegare debet quoque si in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas.

§ 2. Quod si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Cadit § 1, quia iam provisum in can. 39.

Probatur § 2 absque « Quod ».

Can. 71 (novus)

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Placet uti sonat.

Can. 72 (CIC 60, § 2 et 61)

§ 1. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur aut lex lata sit ab auctoritate ipsi resribenti superiore.

§ 2. Per cessationem resribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Ad § 1: Rev.mus primus Consultor tenet regulam valere tantum ante rescripti exsecutionem quod ad effectum mandari nequit: et si exsecutio non uno actu perficitur sed tractum temporis habet successivum regulariter valeret (Secretarius). Rev.mus secundus Consultor tenet quod norma manere potest uti est.

Insuper, maioritate votorum (5 contra 4), supprimuntur verba « aut lex lata... superiore » ne norma videatur nimis dura (tertius et quintus Consultores) ceterumque agitur de principio per se claro.

Can. 73 (novus)

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam pro foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

Placet.

Can. 74 (CIC 62)

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Placet.

Caput IV
DE PRIVILEGIIS

Postquam animadversiones generales lectae fuerunt etiam ad responsio-nem Relatoris quod attinet quae ibi invenitur, gressus fit ad consideratio-nem singulorum canonum.

Can. 75 (CIC 63)

§ 1. Privilegium, seu gratia in favorem certarum personarum, sive physicarum sive iuridicarum per peculiarem actum administrativum facta, a sola competenti auctoritate potestate exsecutiva gaudente concedi valet.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Ad § 1: De necessitate definitionis argumentat Rev.mus Relator cum notio requiratur certa qua constet tantum de privilegio formaliter sumpto agi, scilicet per actum particularem seu administrativum auctoritatis. Secus necessarium esset ut titulus detur « De verborum significazione » vel du-bium remaneret de privilegii notione.

Exc.mus Secretarius animadvertisit privilegium ius esse obiectivum quod respicit iura singularia et illud concedere est actus cum potestate legislativa connexus quia datur a legislatore [et] ab eo qui potestatem delegatam ab ipso legislatore obtinet, quapropter dici nequit, citando etiam Michiels, Van Hove et secundum Consultorem, concedi posse ab eis qui potestate tantum exsecutiva gaudent. Ergo idem Exc.mus D.nus petit ut verba « a sola ... potestate executiva gaudente » supprimantur.

Rev.mus quartus Consultor petit ut etiam verbum « administrativum » deleatur, secus clarum esset agi de potestate exsecutiva. Rev.mus secundus Consultor animadvertisit privilegium ius obiectivum esse singulare. In Codice privilegium late sumitur et dari potest sive per legem, sive per consuetu-dinem, sive per praescriptionem et nihil omnino dicitur de actu administra-tivo. Reversa cum hoc canone evolutio concreta iuris datur et recte mutatur theoria de privilegio quae in Codice habetur. Insuper animadvertisit idem Rev.mus D.nus privilegium contra ius dari nequire ab eo qui tantum pote-state exsecutiva gaudet sed solummodo ab illo qui etiam legislativam habet, quia hoc in casu privilegium dispensationi assimilatur.

Rev.mus primus Consultor notat quod notionis privilegii est quod sit contra ius et ideo contra iuris ordinationem privilegium concedere pertinet tantum legislatori vel ei qui superior legislatoris est. Declarat se non contra extensionem esse huius canonis, sicut actum est pro facultate dispensandi e

lege generali Ecclesiae ex parte Episcoporum; tamen non videt [propositio incompleta].

Ill.mo quinto Consultori minime placet quod auctoritas potestate exsecutiva gaudens virtute agat potestatis legislativae, quae delegatur ex iure, ideoque dici nequit eam agere ex ipsa potestate exsecutiva qua gaudet. Cui adhaeret Ill.mus tertius Consultor.

Rev.mus octavus Consultor contrarium sese declarat huiusmodi definitioni quae clara nondum est. Si definitio danda est, forma seligatur magis generalis ita ut privilegii concessio ex potestate legislativa proveniat. Et tenet supprimendum esse sive « administrativum » sive « potestate exsecutiva gaudente ».

Rev.mus septimus Consultor querit utrum de quadam doctrinae exsecutione quae in canone inseritur vel potius de quadam innovatione agatur. Omnis enim Superior qui privilegium concedit quodammodo semper a potestate legislativa dependet; nam, in omni iuris concessione semper dependentia a legislatore habetur et adhaeret iis quae prolatas sunt a Rev.mo octavo Consultore.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit natura sua actum administrativum non esse potestatis legislativae (cfr. Del Giudice), et privilegium in ambitu legis esse: privata lex ab auctoribus enuntiatur. Ill.mus sextus Consultor notat doctrinam italicam hac de re (Falco, Del Giudice) tenere privilegium assimilari actui legislativo et adhaeret iis quae a Rev.mo octavo Consultore prolatas sunt.

Exc.mus Secretarius notat in Ecclesia distinctionem claram potestatem legislativam inter et exsecutivam non haberi et tenet fortasse dicendum esse expresse quod ex concessione potestas exsecutiva concedere potest privilegia, secus esset aliqua contradictio, et proponit ut verba supprimantur ne doctrinae evolutio praeiudicetur. Et factum quod institutum privilegii in titulo de actibus administrativis inscribitur aliquam constituit orientationem.

Rev.mus primus Consultor notat facultatem concedendi privilegia sicut a legis dispensationem pertinere ad legislatorem. Ad leges generales Ecclesiae quod attinet, pertinet ad Episcopos dispensare non ex delegatione sed ex recognitione iuris quae habita est. Idem principium applicari potest materiae de privilegiis pro iis qui tantum potestate gaudent exsecutiva ideoque evolutio iuris servari potest.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: « ... facta ab auctoritate aut ratione officii aut ratione delegationis a legislatore datae concedi valet ».

Ill.mus quintus Consultor suggerit quod dicatur « a competenti auctoritate intra fines suee competentiae ». Hoc modo omnes comprehenduntur

distinctiones a Rev.mo secundo Consultore factae et vitaretur disceptationes ad doctrinam pertinentes ingredi. Ill.mus tertius Consultor tenet quod cum propositione Rev.mi secundi Consultoris problema clarificaretur de potestatis vicariae usu. Et petit ut verbum « administrativum » suppri- matur; nam, sufficit dicere « per peculiarem actum » absque ulla qualifica- tione, quae ceterum iam innuitur sicut notavit Exc.mus Commissionis Secretarius per systematicam, inserendo institutum privilegii in « De actibus administrativis ». Exc.mus Secretarius est contra ditionem « actus administrativus », allegans sufficere insertionem in parte « De actibus administrativis ».

Tandem aliquando quaestiones per plures suffragationes dirimun- tur: 1) utrum placeat in textu retinere aliquam definitionem: 7 contra 2; 2) utrum supprimi debeat verbum « administrativum »: 7 contra 2; 3) utrum supprimenda sint verba « sola... potestate exsecutiva gaudente »: Placet omnibus; 4) utrum dicatur tantummodo « a competenti auctorita- te »: 6 contra 3; 5) ut dicatur tantum « ab auctoritate »: 4 contra 5.

Ergo textus qui probatur quoad § 1 est: « Privilegium ... per peculia- rem actum facta, a competenti auctoritate concedi valet ».

Suffragatione peracta, Rev.mus Secretarius Ad. adnotat textum uti probatum nihil dicere de competentia auctoritatis ad privilegium conce- dendum ideoque magnam haberi obscuritatem, cum textus nihil de se dicat.

Rev.mus secundus Consultor observat hunc textum esse contra conami- na in praecedentibus canonibus facta, in quibus praecise opera data est ut limitaretur possibilitas, in primis Curiae Romanae, enervandi legem per privilegia et dispensationes.

Ill.mus tertius Consultor petit ut saltem in textu reintegretur vox « sola ».

Res pro nunc manet uti suffragata est.

Placet § 2 uti est.

Can. 76 (CIC 66)

§ 1. Facultas habitualis quae conceditur aut in perpetuum aut ad prae- finitum tempus aut ad certum casum numerum, accensetur privilegio praeter ius.

§ 2. Nisi in eius concessione aliud expresse cautum sit aut electa indu- stria personae, facultas habitualis Episcopo dioecesano aliive Ordinario concessa, non perimitur resoluto iure Ordinarii cui concessa est, etiamsi

ipse eam exequi cooperit, sed transit ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultas habitualis Episcopo dioecesano concessa competit quoque Vicario generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secumfert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit removendi obstacula, si quae sint, gratiae exsecutionem impediens, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

Visis animadversionibus, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut accipiantur observatio facta a duobus Episcoporum Conferentiis transferendi § 1 uti can. 98 bis.

Exc.mus Secretarius tenet de se facultates habituales accenseri potius privilegiis cum per actum peculiarem concessae sint et quidem per gratiam et certis personis: ergo per se multa habere ex notione privilegii. Ideoque non transferendus est canon ad Caput de potestatis regiminis exercitio.

Rev.mus secundus Consultor contradicit Exc.mo Secretario, quia cum facultatibus habitualibus aliqua datur transmissio potestatis, quae non est ordinaria, neque totaliter delegata, et non agitur de gratia — adiungit Rev.mus Secretarius Ad. — cum non in Episcopi favorem sed aliorum detur.

Instat Exc.mus Secretarius ut canon non transferatur: si transferreretur, melius esset ut supprimeretur. Ceterum, etsi canon supprimitur, institutum in vita sua pergeret.

Rev.mus octavus Consultor tenet facultates habituales categoriam per se stantem esse; institutum iuridicum quod Ecclesiae est proprium et quod a se est.

Ill.mus tertius Consultor dicit facultates habituales privilegia non esse sed fontem potestatis qua etiam privilegia conceduntur; et modus aliquis delegationis.

Rev.mus secundus Consultor tenet facultates aliquas institutionem sui generis esse, quae posita est inter potestatem ordinariam et delegatam et ponendae sunt uti can. 98 bis.

Fine finaliter quaestio per suffragium solvit: et maioritati placet ut canon transferatur uti can. 98 bis (6 contra 2; Secretario abstinente). Totus canon 76 examini subicietur suo loco quando de potestatis exercitio sermo instituatur.

Can. 77 (CIC 67-68)

Privilegium interpretandum est ad normam cann. 37 et 67; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

Placet uti est, sed referentia ibi notata est can. 37 bis et non amplius can. 67.

Can. 78 (CIC 70, 74, 75)

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Placet.

Can. 79 (CIC 70)

Privilegium cessat per revocationem competentis auctoritatis ad normam cann. 45 et 72.

Non accipitur animadversio supprimendi canonem vel uniendi cum can. 83, quia in omnibus canonibus qui sequuntur de privilegii cessatione agitur.

Placet textus uti est.

Can. 80 (CIC 72)

§ 1. Nullum privilegium per renuntiationem cessat nisi haec a competenti auctoritate fuerit acceptata.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concessso quaeviis persona privata renuntiare potest.

§ 3. Privilegio concessso alicui personae iuridicae, aut ratione dignitatis loci vel rei, privatis personis renuntiare non licet.

§ 4. Nec ipsi personae iuridicae integrum est privilegio sibi concessso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Placet § 1.

Placet § 2, mutato verbo « physica » loco « privata » (secundus et sextus Consultores).

Placet § 3, sic emendata: loco « privatis... non licet » dicatur « singulae personae renuntiare nequeunt » (Card. Praeses).

Placet § 4.

Can. 81 (CIC 73)

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula *ad benefacitum nostrum* vel alia aequipollenti.

Placet.

Can. 82 (CIC 76)

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio.

Placet.

Can. 83 (CIC 77)

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus concessum fuit, firmo praescripto can. 109, § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adjuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxium evaserit aut eius usus illictus fiat.

Placet.

Can. 84 (CIC 78)

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; quare, Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab Apostolica Sede, eandem Ordinarius certiorem facere tenetur.

Placet, substituto verbo « permissa » cum « data ».

Finis hic imponitur laboribus huius Sessionis. Proxima Sessio erit a die 26 novembris ad diem 1 decembris. Em.mus Cardinalis Commissionis Praeses omnibus gratias de labore peracto ex intimo corde dicit et fusis de more precibus Sessio clauditur.

Romae, die 27 octobris 1979.

M. DE NICOLÒ
Adiutor a studiis

CANONES
[Caput II]
DE CONSuetudine

Can. 24 (CIC 25)

Ea tantum consuetudo a communitate fidelium introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

Can. 25 (CIC 27)

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis; consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Can. 26 (CIC 26)

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae a communitate legis saltem recipienda capace cum animo iuris inducendi servata fuerit.

Can. 27 (CIC 27 et 28)

Nisi a competenti legislatore specialiter fuerit probata, consuetudo vi- genti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam, vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos ser- vata fuerit; contra legem vero canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Can. 28 (CIC 29)

Consuetudo est optima legum interpres.

Can. 29 (CIC 30)

Firmo praescripto can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut imme- robiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

TITULUS II
DE DECRETIS ATQUE PRAECEPTIS GENERALIBUS
ET DE INSTRUCTIONIBUS

Can. 30 (novus)

Decreta generalia, quibus a legislatore competenti, pro communitate legis recipienda capace, communia feruntur praescripta, proprie sunt leges et reguntur praescriptis canonum de legibus.

Can. 31 (novus)

Decreta generalia de quibus in can. 30 ferre non valent ii qui potestate exsecutiva tantum gaudent, nisi in casibus particularibus talis potestas ad normam iuris ipsis a legislatore competenti expresse fuerit concessa et servatis conditionibus in actu concessionis statutis.

Can. 32 (novus)

§ 1. Decreta generalia exsecutoria, quibus nempe pressius determinant modi in lege applicanda servandi aut legum observantia urgetur, ferre valent, intra fines suae competentiae, qui potestate gaudent exsecutiva.

§ 2. Ad decretorum de quibus in § 1 promulgationem et vacationem quod attinet, serventur praescripta can. 9.

Can. 33 (novus)

Decreta generalia exsecutoria eos obligant qui tenentur legibus quarum modos applicationis determinant aut observantiam urgent.

Can. 34 (novus)

§ 1. Decreta generalia exsecutoria, etiam quae edantur in directoriis aliusve nominis documentis, non derogant legibus, et quae eorum praescripta legibus sint contraria omni vi carent.

§ 2. Eadem vim habere desinunt revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem data sunt; non autem cessant resoluto iure statuentis, nisi contrarium expresse caveatur.

Can. 35 (novus)

§ 1. Instructiones, quae nempe legum praescripta declarant atque rationes in iisdem exsequendis servandas evolvunt et determinant, ad usum eorum dantur quorum est curare ut leges exsecutioni mandentur eosque in legum exsecutione obligant; eas legitime edunt, intra fines suaे competentiae, qui potestate exexecutiva gaudent.

§ 2. Instructionum ordinationes legibus non derogant, et si quae earum cum legum praescriptis componi nequeant, omni vi carent.

§ 3. Vim habere desinunt instructiones non tantum revocatione explicita aut implicita ab auctoritate competenti, quae eas edidit eiusve superiori, sed etiam cessante lege ad quam declarandam exsecutioni mandandam datae sunt.

TITULUS III

DE ACTIBUS ADMINISTRATIVIS SINGULARIBUS

Caput I

NORMAE COMMUNES

Can. 36 (novus)

Actus administrativus singularis, sive sit decretum aut praeceptum sive sit rescriptum, elici potest, intra fines suaे competentiae, ab eo qui potestate exexecutiva gaudet.

Can. 37 (novus: cf. CIC 49)

§ 1. Actus administrativus intelligendus est secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum; in dubio qui ad lites referuntur aut ad poenas comminandas infligendasve attinent aut personae iura coarctant, aut iura aliis quaesita laedunt, aut adversantur legi in commodum privatorum, strictae subsunt interpretationi; caetera omnia latae.

§ 2. Actus administrativus non debet ad alios casus praeter expressos extendi.

Can. 37 bis

Actus administrativus, qui forum externum respicit, scripto est consignandus; item, si fit in forma commissoria, illius actus exsecutionis.

Can. 37 ter

Actus administrativus, etiam si agatur de rescripto motu proprio dato, effectu caret quatenus ius alteri quaesitum laedit aut legi consuetudinive probatae contrarius est, nisi auctoritas competens expresse clausulam derogatoriam addiderit.

Can. 37 quater

Conditiones in actu administrativo tunc tantum ad validitatem censentur adiectae, cum per particulas « si », « nisi », « dummodo » exprimantur.

Can. 38 (novus; cf. CIC 53)

Exsecutor alicuius actus administrativi invalide suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate eundem actum edentis transmissa.

Can. 39 (novus; cf. CIC 54)

Exsecutor actus administrativi cui committitur merum exsecutio ministerium, exsecutio huius actus denegare non potest, nisi manifesto appareat eundem actum esse nullum aut alia ex gravi causa sustineri non posse aut conditiones in ipso actu administrativo appositas non esse adimplatas; si tamen actus administrativi exsecutio adiuncitorum personae aut loci ratione videatur inopportuna, exsecutor exsecutio intermitat: quibus vero in casibus statim certiore faciat auctoritatem quae actum edidit.

Can. 40 (novus; cf. CIC 55)

Exsecutor actus administrativi procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi normam servaverit, irrita est exsecutio.

*Can. 41 (novus; cf. CIC 56): Cadit.**Can. 42 (novus; cf. CIC 57)*

Actus administrativi exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona praefinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus praeparatorios.

Can. 43 (novus; cf. CIC 58)

Actus administrativus exsecutioni mandari potest etiam ab exsecutoris successore in officio, nisi fuerit electa industria personae.

Can. 44 (novus; cf. CIC 59, § 1)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in actus administrativi exsecutione erraverit, eundem iterum exsecutioni mandare.

Can. 44 bis

Actus administrativus non cessat resoluto iure statuentis, nisi aliud iure expresse caveatur.

Can. 45 (novus; cf. CIC 60, § 1)

Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento quo legitime notificetur personae pro qua datus est.

Caput II

DE DECRETIS ET PRAECEPTIS SINGULARIBUS

Can. 46 (novus)

Decretum singulare intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate exsecutiva editus quo secundum iuris normas pro casu particulari datur decisio aut fit provisio, quae natura sua petitionem ab aliquo factam non supponunt.

Can. 47 (novus)

Praeceptum singulare est decretum quo personae aut personis determinatis aliquid faciendum aut omittendum directe et legitime imponitur, praesertim ad legis observantiam urgendam.

Can. 48 (novus)

Antequam decretum singulare ferat, auctoritas necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quatenus possibile sit, eos audiat quorum iura laedi possint.

Can. 49 (novus): *Suppressus* (cfr. can. 31 quater).

Can. 50 (novus)

Decretum singulare vim habet tantum quoad res de quibus decernit et pro personis quibus datum est; eas vero ubique obligat, nisi aliud constet.

Can. 51 (novus; cf. CIC 48)

Si decreta inter se sint contraria, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali: si aeque sint peculiaria aut generalia, posterius tempore obrogat priori, quatenus ei contrarium est.

Can. 52 (novus; cf. CIC 49-50): *Suppressus*.

Can. 53 (novus; cf. CIC 24)

§ 1. Decretum singulare, cuius applicatio committitur exsecutori, effectum habet a momento exsecutionis; secus a momento quo personae auctoritate ipsius decernentis intimatur.

§ 2. Ut urgeri valeat decretum singulare, requiritur legitimo documento ad normam iuris intimatum fuerit.

Can. 53 bis

Firmo praescripto can. 37 bis, cum gravissima ratio obstet ne scriptus decreti textus tradatur, decretum intimatum habetur si ei cui destinatur coram notario vel duobus testibus legatur, actibus redactis, ab omnibus praesentibus subscribendis.

Can. 53 ter

Decretum pro intimato habetur, si is cui destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit.

Can. 54 (novus; cf. CIC 24): *Cadit*.

Can. 55 (novus)

§ 1. Decretum singulare vim habere desinit legitima revocatione ab auctoritate competenti necnon cessante lege ad cuius exsecutionem datum est.

§ 2. Praeceptum singulare, legitimo documento non impositum, cessat resoluto iure praecipientis.

Caput III
DE RESCRIPTIS

Can. 56 (novus)

§ 1. Rescriptum intelligitur actus administrativus a competenti auctoritate exsecutiva in scriptis elicitus quo, de se ad petitionem alicuius, conceditur privilegium, dispensatio aliave gratia.

§ 2. Quae de rescriptis statuuntur praescripta, etiam de licentiae concessione valent, nisi aliud constet.

Can. 57 (CIC 36, § 1)

Rescriptum quodlibet impetrari potest ab omnibus qui expresse non prohibentur.

Can. 58 (CIC 37)

Nisi aliud constet rescriptum impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, salvis clausulis contrariis.

Can. 59 (CIC 38)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, effectum habet a momento quo datae sunt litterae; cetera a momento exsecutionis.

Can. 60 (CIC 39): Cf. *Can. 37* quater.

Can. 61 (CIC 40-42 et 45)

§ 1. Validitati rescripti obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum stylum et praxim canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi agatur de rescripto gratiae quod *Motu proprio* datum sit.

§ 2. Item validitati rescripti obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

Can. 62 (CIC 43)

Salvo iure Sacrae Paenitentiariae pro foro interno, gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae Dicasterio aliave competenti auctoritate infra Romanum Pontificem conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum est.

Can. 63 (CIC 44)

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario generali vel a Vicario episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo dioecesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario generali vel Vicario episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari.

*Can. 64 (CIC 46): Cadit.**Can. 65 (CIC 47)*

Rescriptum non fit irritum ob errorem in nomine personae cui datur vel a qua editur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel de re dubitatio.

Can. 66 (CIC 48)

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrantur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat mentio expressa de priore, aut nisi prior imperator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio num rescriptum irritum sit necne recurratur ad resribentes.

Can. 67 (CIC 49): Cadit.

Can. 68 (CIC 51)

Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in iisdem litteris praecipiatur, aut de rebus agatur publicis, aut comprobare conditions oporteat.

Can. 69 (CIC 52)

Rescriptum, cuius praeSENTationi nullum est definitum tempus, potest exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Can. 70 (CIC 54)

Si in rescripto ipsa concessio exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.

Can. 71 (novus)

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Can. 72 (CIC 60, §§ 2 et 61)

Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur.

Can. 73 (novus)

§ 1. Quae in canonibus de rescriptis statuuntur praescripta, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

§ 2. Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam pro foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

Can. 74 (CIC 62)

Si rescriptum contineat privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Caput IV
DE PRIVILEGIIS

Can. 75 (CIC 63)

§ 1. Privilegium, seu gratia in favorem certarum personarum, sive physicarum sive iuridicarum per peculiarem actum facta, a competenti auctoritate concedi valet.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

*Can. 76 (CIC 66): Translatus ad can. 98 bis.**Can. 77 (CIC 67-68)*

Privilegium interpretandum est ad normam can. 37 bis; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

Can. 78 (CIC 70, 74, 75)

§ 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.

§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.

§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Can. 79 (CIC 70)

Privilegium cessat per revocationem competentis auctoritatis ad normam cann. 45 et 44 bis.

Can. 80 (CIC 72)

§ 1. Nullum privilegium per renuntiationem cessat nisi haec a competenti auctoritate fuerit acceptata.

§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevi^s persona physica renuntiare potest.

§ 3. Privilegio concesso alicui personae iuridicae, aut ratione dignitatis, loci vel rei, singulae personae renuntiare nequeunt.

§ 4. Nec ipsi personae iuridicae integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Can. 81 (CIC 73)

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula *ad beneplacitum nostrum* vel alia aequipollenti.

Can. 82 (CIC 76)

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio aut tacita renuntiatio.

Can. 83 (CIC 77)

§ 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus concessum fuit, firmo praescripto can. 109, § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxiū evaserit aut eius usus illicitus fiat.

Can. 84 (CIC 78)

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio data, privilegio ipso privari meatur; quare, Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab Apostolica Sede, eandem Ordinarius certiores facere tenetur.
